



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Scintillæ Ignatianæ, Sive Sancti Ignatii De Loyola, Societatis Jesu Fundatoris Apophthegmata Sacra

Hevenesi, Gábor

Coloniæ, 1715

VD18 10988289

8. Septembris. Vince te ipsum: si enim te viceris, splendidior in cœlo, quàm alii, qui mitiori sunt ingenio, coronam adipiscêris. S. Ignat. ad Edmund. Auger.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-50423](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-50423)

Nemo solus vult esse malus ; socium quærit, quem ut inveniat non unum, nullâ opus adhortatione ; sufficit exemplum, quod si fuerit impunitum, omni oratione potentiùs persuadet sequelam.

In extraneis faciliùs invenietur benefactor, quàm corrector ; animadversio solùm erga charos fit, liberalitas etiam ad inimicos se extendit, castigatio solùm ad amicos ; quos amas, nihil in iis vitii tolera.

8. Septembris.

Vince te ipsum : si enim te viceris, splendidior rem in cœlo, quàm alii, qui miriori sunt ingenio, coronam adipiscêris. S. Ignat., ad Edmund. Auger.

A Ut vincendum, aut succumbendum tibi est ; potentior tibi hostis es, quàm Xerxis exercitus ; tu difficilior es expugnatu quovis præsidio, Quot expugnatores urbium se vincere nesciverunt ?

Quantò nobilior mens est saxo, eò hanc præ illo expugnare gloriosius ; aliena victoria hostium domat corpora, non animos : victoria verò sui ipsum superat mundo, cœloque superiorem animum.

Naturam non accusa ; si alia est, quàm

opra.

optares, te ipsum argue; cur non melio-
rem efformas? Non poterat fieri, ut pri-
mum efficeres, potest nunc, ut reficias. Nul-
la est tam pervicax, quæ correctionem re-
cuset.

Feliciter te crederes, si naturam eligere
potuisses; potes nunc longè securius; non-
dum vitam expertus, optione hac fortuito
egisses; nunc post experientiam prudentior
erit delectus, ubi te probasti; sagacius con-
siliium est post periculum.

9. Septembris.

*Asperitas in eos qui imbecilla virtutis sunt,
minimè adhibenda, ne mali multò plus
nascitura inde diffidentia pariat, quàm
expectari possit de reprehensione acerba
boni. S. Ignat. apud Bart. l. 3. n. 36.*

Correctionis finis emendatio sit, ultra
hanc qui premit, non est pater; quid
correctio juvat, quæ obstinationi potius,
quàm emendationi servit? correctionis
importunitas, peiores facit.

Quæ imbecilla sunt, nec firmam adhuc
radicem egerunt, asperior aura facilè ever-
tit: seri dein solis calores, seræ tepidi Ze-
phyri blanditiæ non revocabunt ad viro-
rem.

Quis